

Ἰντρουκτιὸν  
Introductio.

**C**Ausarum Internarum corporis naturalis altera, **Forma** est. Hujus cognitio difficilis admodum & operosa tantum abest, ut absterreat nos, ut potius non tam moveat, quam rapiat in illius indagandæ accuratiùs atque exquisitiùs, quoad ejus fieri potest, studium & amorem. Sicut enim juxta vulgatum illud, δύσκολα πρὸς καλὰ, & Philosophum omninò decet, μάλλον ἀγαπᾶν, ἀμὴν ὅτι ῥαδίως λαβεῖν, uti rectissimè ex Aristotele Excellentissimus ille Theologus juxta atq; Philosophus *Dn. D. Danhauerus in Colleg. Psychol. Diss. 6. p 244.* monet: Ita expedit maximè, firmam habere hac de re sententiam in multis controversiis, Theologicis quoque, decernendis. Cui rei dum in præsentivelicamur, eidem eventus ex sententiâ respondeat, faxit Deus bonus, quo cum sit

SECTIO PRIMA,

*Hujusq;*

Caput Primum

*Explicans*

Definitionem Formæ,

*quæ est*

Forma est causa interna, per quam corpus naturale constituitur.

§. 1. Vox Formæ sive deducatur à Græco μορφή per litterarum metathesin s. transpositionem Grammaticam, & mutationem literæ φ in f, sive originem trahat à verbo formo, quia forma nihil aliud sit, quam quæ in utero matris omnem omnium partium apparatus præparat & format, cum illius sit formare & constituere; de eo magnopere sollicitus non sit Physicus, sed relinquat id, quicquid negotii est, Grammatico. Optime